THESES PHILOSOPHICAE

Quas Auſpicio et propitio
D. O. M.
Adoleſcentes Laureæ Magiſterialis
Candidati
in Inclyta *Abredonenſi* academia Mariſchallanâ
Julii, 17.
Publice propugnabunt horis et loco ſolitis
Præſide *ROBERTO FORBESIO.*

Uni ſapienti notum eſt, quanti rés quæque taxanda ſit. SEN. Epiſt. 82.
Sola ſapientia eſt quæ nos a libidinum impetu et formidinum terrore vindicet, modice doceat ferre injurias, et omnes monſtret vias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferant. Cicero *de finibus lib.* 1.

ABERDONIIS.
E Typographæo *Jacobi Broun Urbis & Academiæ Typothetæ*, Anno 1660.

Nuncupatio.

GENEROSISSIMO ac *ORNATISS.* *DOMINO*, D. IACOBO INNESIO,

Illuſtriſſimi ac *Strenuiſſimi Domini*

D. ROBERTI INNESII

Equitis Baronetti, D. de eodem, *Murtoun, Garmouth, Dollas &c.* ſplendidiſſimi *Inneſiorum* Familiæ Principis Clariſſimi, *Filio Primogenito* et maximæ ſpei hæredi digniſſimo.

Sub ejuſdem *Palladis* vexillo Cõmilitoni quondam ſuo antefignano meritiſſimo, omnibus tum naturæ dotibus, tum virtutis ac gratiæ ornamentis inſtructiſſimo, nunc Mœcenati Munificentiſſimo et Fautori plurimum colendo,

S. P. Q. C.

NEmo temeritatis nos arguerit (Generoſiſſ Dom.) *Quod te unũ compellemus, et tuum Nomen, quod nobis alte hæret in animo, harebitq; perpetuo, in harũ aſſertionũ fronte exponamus. Jure namque tuo poſtulas a nobis, quod multis titulis tibi debemus, ut ſub umbrâ præſidii tui laborum noſtrorum primitias emitteremus. Quem enim adoptaremus Mœcenatem potiorem te qui toto decurſu quadriennalis ſtudii Philoſophici, ſub ejuſdem* Apollinis *vexillo, nobis Commilitonibus Coryphæus præfuiſti, dictis et factis, verbo et opere profuiſti: vividæ virtutis, ſpectatæ probitatis, et omnimodæ obſervantiæ accuratiſſimum exemplar.*

Accedit ſtemmatis tui nobilitas, cujus plurimis retro ſeculis fama tenuit.

Sed

Sed ne rudi penicillo generoſam proſapiam tuam adumbrando altius repetamus, primus nobis occurrit illuſtriſſimus avus tuus D. ROBERTUS INNESIUS Eques auratus, Auguſtiſſimo ac Celſiſſimo MONARCHÆ CAROLO PRIMO Britanniarum REGI ſereniſſimo olim a ſecretioribus conſiliis. Hic Clariſſimi nominis ſplendorem late vibravit, quod vir fuerit in quo nihil humile aut exile, ſed omnia exſtiterint ſumma. Hunc cũ Deus ſui ſeculi Phœnicem eſſe voluit, in illo uno poſuit, quicquid ubiq; fuit. Ejus igitur virtutes malim⁹ tacendo venerari, quã dicendo imminuere.

Succedit Clariſſimus D. ROBERTUS, dicti D. ROBERTI filius dilectiſſimus, pater tuus ſtrenuiſſimus; in quem unum avitas virtutes collectas ſuſpicimus, quas in aliis ſparſas demiramur. Ex vero quantum in illo emicent ſingulæ, quanto auctius colluceant univerſæ, ſi verbis exprimere conſilium inierimus, rem aggreſſi videbimur de ſuperfluitate operæ in tanta apud omnes ejus decorum luce inſimulandam. Quem enim latet illum omnimodã virtute ornatiſſimum, vitæ probitate et integritate, bellicâ virtute etiam ac rerum gerendarum dexteritate, excelſo preterea ac infracto animo pro republicæ dignitate ac jure tuendo retinendoque.

Nec prætermittenda eſt ſanctiſſima D. IOANNA ROSSÆA, nobiliſſimi COMITIS ROSSENSIS filia et hæres digniſſima, tua parẽs chariſſima, per quã ad te dimanavit antiquiſſimæ illius familiæ, heroicarum virtutũ clariſſimus ſplendor. In honorandæ D. matris tuæ divite virtutum copia, quaſi in viridario, miſſis aliis, cæruleam modeſtiæ violam, purpuream humanitatis roſam, et candidum ſingularis pietatis lilium nunc legimus, et tibi ad imitationem proponimus, majorum enim laudes eſſe debent incitamenta poſteritatis quod cæteras reticemus, ejus modeſtiæ parcimus non gloriæ invidem⁹. Verum cum majores tuos, quorum alii armis, alii eruditione, alii prudentia inclyti, univerſos enumerare non poſſimus, multos non debeamus, præter Commemoratos neminem compellamus. Sufficiat quod ſint numero multi, virtute magni, famâ ſuper æthera noti.

Tu interim, Ornatiſſime D. acceptam a majoribus lucem amplificare ſtudeto, ut cornicula inſtar alienis coloribus te non jactes, nec nobilitatem tantum tuis, ſed tibi ipſi imprimis debeas. Splendida namque vanitas eſt, tantum Majorum nomina crepitare, & ab eorum virtutibus vitâ et moribus diſcrepare. Tu igitur ſi proavorũ diſſimilis es, te non tam ſplendidum aliena claritudo, quam obſcurum tua te faciet turpitudo. Vis veram nobilitatem, nobilitas ſola eſt atque unica virtus. Equidem non abnuerimus virtuti ipſi ab externo nobilitatis lumine, aliquid adblandientis decoris accedere. Quam enim tibi honorificum eſt, quod in veſtra Familia non minus pacata prudentiæ laurus, quam bellicæ virtutis palma, ita frondaverint, ut

perennem famæ virorem in omnem posteritatem protulerint. Habent fama et gloria, incorrupta fides et rara prudentia, in vestra Familia certũ, domiciliũ.

Ex antiquissimis familiis te prodisse, Fortuna est; ab avita nobilitate vitæ meritis non degenerare, tua id opus virtutis erit. Prævolavit pueritiæ aurora purpurea, futuræ tuæ claritatis nuncia, fausto cum omine virtutum amœnissimum viridarium, ita excoluisti et exornasti ut morum tuorum suavissimorum flosculos libando generosos atque ingenuos animos in tui amorem abripueris. Macte juvenis, vere namque nobilitatis ea est indoles, ut ad ornamenta illa et blandimenta quæ bonarum artium studia affatim suggerunt sunapte contendat, ut omnibus pateat quantum possit fortuna in magna virtute, quanta possit virtus cum magna fortuna. Animi namque decora sunt quæ generosum evehunt, quæ clarum et conspicuum reddunt, hæc cum ita sint;

A nobis tibi debetur honoris officium; debes tutelæ patrocinium. Alterum exhibemus, alterum exigimus, dum has tibi laborum nostrorum primitias, et nostri obsequii futurum argumentum et tui præsidii monumentum offerimus. Faveas igitur et benigne interpreteris levidense hoc munusculum observantiæ nostræ et addictissimæ voluntatis authoramentum.

Honoris tui studiosissimi

Adamus Rhædus.
Alexander Mackenzæus.
Andreas Guildus.
Andreas Macphersonus.
Archiebaldus Campbellus.
David Personus.
Duncanus Forbesius.
Georgius Forbesius.
Georgius Graius.
Gulielmus Blairus.
Gulielmus Camerarius.
Gulielmus Douglasius,
Gulielmus Grantæus.
Iacobus Couperus.
Iacobus Rossæus.
Kenneth. Mackẽzæus ma.
Kenneth. Mackẽzæus mi.
Nigellus Beatonus.
Robertus Irvinus
Thomas Forbesius.

Theſes Logicæ.

PHiloſophia eſt rerum cœleſtium et ſublunarium quãta naturæ lumine acquiri poteſt notitia, cujus diſciplinæ omnes in particulari ſunt vere chorus Muſarum mutuas inter ſe manus complicantium, quælibet enim ſcientia cuilibet ſcientiæ adjumento eſſe poteſt, vel ſaltem ornamento.

II. Non obſtante inconſtantiâ et ſublunarium continuo fluxu, datur ſcientia contra *Heraclitum*, at non eſt reminiſcentia ſecundum *Platonem*, ſed de nova acquiſita juxta *Ariſtotelem*. Scientia totalis qualitas eſt una non ſimplex ſed aggregata, ex variis habitibus ſpecie diverſis, multiplex.

III. Unam ne ponamus ſcientiam quæ ens attingat et omnes ejus ſpecies; an pro concluſionum et objectorum varietate plures, parvo veritatis diſcrimine refert. Retinendam tamen cenſemus ſcientiarum vulgarem diviſionem, ut commodiſſimam licet arbitraneam.

IV. Logica reliquarum ſcientiarum facula *Adamo* fuit infuſa, et ab illo in poſteros derivata; at hominis vitio diminuta, reflexâ intellectus experientia ſupra ſuos actus eſt reſtituta. In hoc negotio primas tenet *Ariſtoteles* Philoſophorum facile princeps.

V. Datur Logica non naturalis tantum menti congenita, ſed et habitualis labore acquiſita, ad reliquas ſcientias inſtrumentaria. Speculativa eſt vel practica cum reali diſtinctione inter ſe. Illa eſt rigoroſe ſcientia, hæc ars proprie dicta.

VI. Objectum Logicæ adæquatum ſunt mentis conceptus, non excludendo ſcripta et voces. Attributionis vero objectum eſt; non definitio, non argumentatio in communi, aut ſyllogiſmus perfectus, ſed perfectiſſima demonſtratio a priori.

VII. Duplex eſt Logica, docens et utens. Illa præcepta tradit, hæc eadem in praxin redigit. Diſtinguuntur ſubinde realiter, ſubinde ratione ſola. Tam habitualis quam actualis Logica moraliter

moraliter et illuminative, non efficienter et phyſice influit in reſi-quas ſcientias; ad quas utráque eſt utilis ſed neutra neceſſaria.

VIII. Intellectus noſtri operationes ſunt vulgo tres, (pro quarum numero diſtribuitur Logica in totidem partes) quæ eum inter ſe ordinem tenent, ut ſecunda primum, tertia utramque ſupponat neceſſario. Sed potentiæ intellectivæ actus plurimos admittimus nos a tribus illis ſpecie diverſos.

IX. Apprehenſio ſimplex eſt intellectus operatio prima. Eſtque duplex, una incomplexa, complexa altera. Utráque ineſt veritas, falſitas neutri. Utraque eſt capax directionis Logicæ. Num definitio conſiſtat in apprehenſione, an in judicio, eſto probl.

X. Univerſale eſt unum in multis. Datur contra *Heraclitum*, at nullo cogitante intellectu non datur; non extra ſingularia, contra *Platonem*: nec ante ſingularia contra *Fonſecam*: nec in ſingularibus contra *Scotum*. Num unitas univerſalis intrinſeca ſit naturæ an extrinſeca? E. vel R.

XI. Univerſale natura fundat ſed ratio complet, per actum non objective ſed formaliter rationem communem ab inferioribus præſcindentem, apprehenſivum, judicativum vel diſcurſivum, eumque tam copulativum, et disjunctivum, quam præciſe confuſum, ſingularia attingentem non exprimentem.

XII. Multa univerſalia in eſſendo et prædicando (quæ ſolo diſtinguuntur nomine) ſunt adæquate entia realia, ſed nullum adæquate datur a parte rei. Univerſalibus æternitatem concedimus nullam quæ ſingularibus non congruat.

XIII. Formaliter univerſales ſunt non tantum voces et conceptus cum nominalibus Philoſophis, ſed etiam res ſeu naturæ reales cum realibus. Univerſalium factiva eſt omnis potentia Cognoſcitiva, et appetitiva, tam externa quam interna, humana, Angelica et belluina.

XIV. Pro diverſa ratione qua unum in multis inferioribus eſſe poteſt, quinq; a *Peripateticis* numerari ſolent univerſalia, genus, ſpecies, &c. Cujuſdam ſexcũ univerſale concomitans non diſtinguitur a ſpecie. Nobis vero univerſalia ſunt duo vel quinque, quatuor vel octo: plura vel pauciora pro Logicorum placito.

XV. Univerſale eſt genus univocum ad quinque univerſalia; genus, ſpeciem, differentiam &c. Diviſio tamen illa licet bona, nec prima eſt nec ultima. Proprie dicta univerſalia eſſe poſſunt tranſcendentia, complexa, incompleta, æquivoca, entia rationis, non entia, negationes et privationes,

XVI.

XVI. Speciei proprius prædicandi modus eſt ut tota eſſentia inferiorum: generis vero ut illius pars materialis. Salvari poteſt genus in unica ſpecie poſſibili, cæteris phyſice impoſſibilibus. Genus eſt immediate prædicabile de individuis tam completis quam incompletis, de his quidem ut ſpecies, de illis vero ut genus; imo, non tantum ſub conceptu ſed etiam a parte rei, immediate individuari poteſt genus, ſeu poſſibile eſt individuum generis quod non contineatur in ulla ejus ſpecie, *v g.* Sub animali hoc animal quod nec ſit homo nec brutum *Paradoxum*.

XVII. Genus in ſuo formali conceptu non includit differentias inferiores per quas contrahitur, nec contra, differentiæ inferiores includunt genus ſuperius quod dividunt. Item differentia ſuperior in ſuo formali conceptu non includit differentias inferiores, nec contra. Datur ſpecies infima, et communis differentia atoma. Omne univerſale eſt ſingulare.

XVIII. Dantur Analoga proprie dicta ſed rigoroſam univocationem non impediunt inæqualitas vel proportio; ſicut nec dependentia vel tranſcendentia. Prædicamentum eſt unicum vel nullum; ſunt duo vel decem; plura vel pauciora, ut voluerit vel noluerit opponens.

XIX. Signum omne tam naturale quam morale in alicujus Cognitionem ducit. Aliud eſt practicum, aliud ſolummodo ſpeculativum. Hoc quidem vel eſt rei præteritæ rememorativum, vel præſentis demonſtrativum, vel futuræ prognoſticum.

XX. Signum naturale præciſa entitate, morale vero ſeu ad placitū, additō inſuper hominum arbitrio, conſtituitur in actu primo. In actu ſecundo, aliqua cognitione indiget utrumque. Voces humanæ loquentium quidem ſunt ſigna naturalia, rerum vero ſigna moralia tantum.

XXI. Iudicium ſecundæ mentis operatio intrinſece eſt unus et ſimplex actus, extrinſece tamen et connotative tres præcedaneas ſupponit apprehenſiones; extremorum duas: tertiam identitatis vel non identitatis inter illa.

XXII Propoſitionum diviſiones omnes in ſimplicem et compoſitam, affirmativam et negativam, ſpeculativam et practicam, apodicticam et dialecticam, univerſalem, particularem, indefinitam, et ſingularem, univocæ ſunt et generis in ſpecies.

XXIII. Veritas eſt actus conformitas cum objecto, non eſt rei in intellectu relatio rationis ad ſeipſam ut extra illum: nec relatio realis actui ſuperaddita. Dicit actum et objectum ex æquo, actui ergo

partim eſt intrinſeca, extrinſeca partim, idque in actibus tam intuitivis quam abſtractis, tam ſupernaturalibus quam naturalibus, tam divinis quam humanis.

XXIV. Actus verus potuit naturaliter fuiſſe falſus, nullatenus tamen tranſire de vero in falſum. Propoſitionum ſingularium de futuro contingenti determinata veritas datur, ſed a multis negatur quia neſcitur. Una propoſitio nequit eſſe verior alterâ. Propoſitio omnis non vera eſt aut falſa, dantur mixtæ qualitatis, unus namque et idem numero actus poteſt eſſe ſimul verus et falſus

XXV. Diſcurſus tertia mentis operatio eſt unus ſimplex actus, a prima et ſecunda tota ſpecie diverſus. Propoſitiones duæ ad vocalem diſcurſum quandoque, ad mentalem vero nunquam poſſunt ſufficere. Nullum ergo datur enthymema in conceptibus licet admittatur in vocibus.

XXVI. Ad inferendam concluſionem aſſenſus præmiſſarum determinant intellectum tam quoad ſpeciem quam quoad exercitium; non tamen influunt efficienter et phyſice ſed moraliter tantum et directive. Cognitio bonitatis ſequelæ ad ſyllogiſmum in actu ſignato datur, ſed nunquam requiritur.

XXVII. Objectum præmiſſarum intrinſece attingit aſſenſus concluſionis, non raro tamen ex falſis concludas verum. Num ſyllogiſmus conſiſtat in ſola concluſione, an in aggregato ex illâ et præmiſſis, in utramque partem diſputari permittimus. Figura *Galeni* a tribus reliquis eſt ſpecie diverſa.

XXVIII. Univocæ ſpecies ſyllogiſmi ſunt dialecticus et demonſtrativus. Nullus elenchus ſophiſticus eſt ſyllogiſmus, quippequi in forma peccat omnis. Demonſtratio una eſt a priori, a poſteriori alia. Syllogiſmi apodictici ambæ ſunt ſpecies univocæ. Utraque parit ſcientiam, ſed inæqualem et ſpecie diverſam.

XXIX. In omni demonſtratione præmiſſæ debent eſſe veræ, non tamen veriores concluſione. Poteſt dari evidentia ubi nulla certitudo et e contra: poſſunt dari certitudo et evidentia ubi nulla veritas et e contra. Omnis circulus in demonſtrationibus nec impoſſibilis eſt nec inutilis.

XXX. Datur ſcientia, dantur rigoroſæ demonſtrationes de ſingularibus, contingentibus, entibus per accidens, entibus rationis, falſis et impoſſibilibus. Scientiæ fidei et opinionis non tantum habitus ſed etiã actus circa idem objectum, in eodem intellectu conſociari nihil vetat. Immo unum et eundem indiviſibilem actum ſimul fidem eſſe ſcientiam et opinionem non repugnat.

THESES

THESES MORALES.

ex Ethica, œconomica et Politica.

PHiloſophia moralis juveni ad vitam inſtituendam apprime neceſſaria duplex eſt, una ſpeculativa quæ de morum natura, cauſis et affectionibus diſputat: altera practica, quæ recte agendi præcepta tradit. Illa eſt proprie dicta ſcientia, hæc eadem cum prudentia.

II. Diſciplina moralis in duas dividitur partes generalem unam: ſpecialem alteram. Illa proprio nomine Ethica nuncupatur, quâ continentur generalia vitæ præcepta omni homini in quocunque ſtatu ac conditione ſervanda: hæc pro hominis ſtatu diverſo ſtatuitur triplex, monaſtica ſeu perſonalis quæ uniuſcujuſq; officium erga ſeipſum ſpectat: œconomica quæ familiæ bono conſulit, et politica quæ reipublicæ commune bonum procurat.

III. Datur finis, ejuſque cauſalitatem admittit quiſquis ſapit. Sed cum utile qua tale non ſit per ſe expetibile, bonum cum fine non eſt convertibile. Datur finis ſimpliciter ultimus, in quem alio non relatum referuntur cætera, imo ipſe finis ultimus agit propter finem, non tamen datur finis ulterior ultimo, neque progreſſus in infinitum.

IV. In omnibus ſuis actibus deliberatis homo operatur propter finem, non tamen ſemper ſimpliciter ultimum in communi aut in particulari. Nemo poteſt plures tales fines ſibi ſimul præfigere. Poteſt tamen in unum aliquod bonum, nunc hoc, nunc aliud, ſimplex vel ex pluribus coagmentatum tanquam in finem ſimpliciter ultimum tendere.

V. Hominis ultimus finis extrinſecus, in quem author naturæ illum ordinavit eſt Deus, ſimul et intrinſecus in quem ſeipſum per proprios actus ordinare debet; non tamen neceſſitate phyſicâ ſed morali, hoc eſt obligationis et præcepti hominem in illum tendere eſt neceſſe.

VI. Objectiva hominis beatitudo eſt Deus et quidem ſolus, ita ut bona inferiora quæcunque et quomodocunque ſumpta, perfectum ejus bonum eſſe non poſſint. Felicitas vero formalis eſſentialiter in alio collocanda non eſt quam in Dei viſione clarâ, in diverſis ſubſtantiis magis et minus perfectâ, ubique tamen perpetuâ ac perenni amoris in Deum ſuper omnia et exuberantiſſimi gaudii fonte, quam etiam reſurrectio corporum et plena quarumvis hominis facultatum exa-

tiatio, cum congrua defectuum indecentium remotione aſſectatur.

VII. Omnium actuum humanorum directivum principium eſt intellectus; movet quippe voluntatem tam quoad exercitium quam quoad ſpeciem actus, ita ut nil ſit volitum quin præcognitum. Sed quamvis intellectus nullum exerceret judicium, libere tamen non deſineret agere voluntas; quippequi ad actum liberum ſufficere poteſt objecti nuda apprehenſio.

VIII. Voluntas eſt actuum humanorum principium imperativum; Movet quidem intellectum directe et immediate ad aliquos actus non omnes, nec illi imperat deſpotice ſed tantum politice. In imaginationem et appetitum ſenſitivum politicum tantum, licet in facultatem motricem deſpoticum, exercet imperium. At voluntas prælucente ſibi notitiâ indifferente plenum in actus ſuos obtinet dominium. Illi tamen inferri poteſt vis tam quoad actus elicitos quam imperatos.

IX. Inter intrinſeca humanorum actuum principia primas tenet libertas. Eſt autem agens liberum principium ſuiipſius determinativum. Formaliter libera eſt ſola voluntas, ejus tamen actibus extrinſeca eſt libertas, liber namque poteſt eſſe neceſſarius et e contra. Cauſæ ſecundæ libertatem non peſſundat efficax Dei prædefinitio, ſicut nec phyſica prædeterminatio.

X. Actus humanus dicitur qui ab homine procedit cum ſufficienti rationis advertentia, eſtque vel a voluntate elicitus vel imperatus, quorum inſeparabiles affectiones ſunt voluntarium et involuntarium. Omne voluntarium eſt ſpontaneum et contra. Omne liberum eſt voluntarium non contra. Omne voluntarium non eſt volitum nec contra.

XI. Involuntarium ſimpliciter eſt quod vel ab extrinſeco principio, contra internum impetum, vel ex ignorantia voluntatem antecedente operiſque cauſativâ, efficitur. Voluntarium autem ſimpliciter e contra. Unde quod ex metu vel etiam nonnunquam ex concupiſcentia efficitur, quamvis aliquid involuntarii aut minus voluntarii admiſtum habeat; ſimpliciter tamen et abſolute, voluntarii rationem et appellationem obtinet, imo metus et concupiſcentia rationem voluntarii ſæpe ſæpius adaugent.

XII. Omni actui inadæquate extrinſeca eſt moralitas. Datur tamen qui quam habet mutare nequit, aut induere contrariam. Sed eſt etiam actus qui poteſt de bono tranſire in non bonum, in malum etiam vel contra. Datur qui ſimul et bonus eſt et malus. Non omnis actus bonus bonitatem, aut malus malitiam poſtulat in objecto. Datur qui

nec

nec bonus eſt nec malus in ſpecie ſed indifferens, at nullus talis in individuo. Num bonitas vel malitia moralis prius inveniatur in actu exteriori quam interiori eſto probl.

XIII. Prima morum regula non eſt Dei beneplacitum, non lex aliqua earum quæ dicuntur poſitivæ; eſt ipſa natura rationalis, Dei imprimis. Moralis bonitas actus eſt ejus conformitas ad primam regulam morum: malitia vero eſt ipſa poſitiva entitas actus ut dictæ regulæ diſconveniens, non privatio aliqua rectitudinis potentiæ vel actui ineſſe debitæ, nec ulla relatio realis aut rationis ſuperaddita.

XIV. Appetitus ſenſitivi actus paſſiones nuncupantur, quæ ex ſe nec bonæ ſunt moraliter nec malæ, ſed indifferentes. Numerantur vulgo undecem, ſex in appetitu concupiſcibili, in iraſcibili quinque. Augeri poteſt numerus vel minui. Imo omnes ad duas poſſunt reduci amorem ſcil. et odium, qui non ſemper diſtinguntur objectis ſed tendendi modo.

XV. Omnis virtus eſt in medio rei vel rationis cauſaliter, formaliter etiam ſi excipias juſtitiam. Nulla virtus eſt nobis ingenita. Nulla ſubjectatur in appetitu vel ſenſitivo vel rationali, ſed omnes in intellectu. Virtus una eſt vel plures et ſi vis virtutum numerus vitiorum numero eſt æqualis. Quatuor ſunt primariæ quæ cardinales nuncupantur; prudentia, forticudo, temperantia et juſtitia.

XVI. Cæteris virtutibus ut exerceantur præfulget prudentia, quæ definitur, habitus recta cum ratione activus circa ea quæ ſunt homini bona vel mala, num poſſit eſſe ſine aliis virtutibus, vel hæ ſine illa E. vel R. Multiplex eſt prudentia, monaſtica, œconomica, et politica. OEconomica eſt gubernatrix vel obtemperatrix. Politica ſubdividitur in prudentiam pacis et belli, &c.

XVII. Fortitudo eſt virtus qua homo moderatur audaciæ et timori, circa periculi terribilis aggreſſionem vel ſuſtinentiam, ex motivo honeſtatis. Recte dixit philoſophus fortitudinem magis elucere in repentinis caſibus quam in prævisis. Ob moleſtias ſibi mortem conſciſcere mollis eſſe non fortis recte dixit idem. In quibuſdam circumſtantiis homini fortitudinis actus ſunt, duello confligere et fugâ ſibi conſulere; imo indirecte ſibi mortem accerſere.

XVIII. Temperantia eſt virtus quæ moderatur voluptates ſenſuum præcipue guſtus et tactus non tantum quoad opus externum, ſed etiã quoad affectum. Valetudinem corporis et animi vigorem plurimum juvat, dum eſculenta per abſtinentiam, poculenta per ſobrietatem reſque venereas per caſtitatem moderatur.

XIX. Iustitia a juris consultis definitur; constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Ab *Aristotele* vero, virtus per quam apti sunt homines justa velle et agere. Iustitiæ ergo objectum est jus acceptum pro justo. Ius mensuratur lege. Est autem lex in communi, regula humanorum actuum per se vim habens obligandi, ad aliquid agendum vel non agendum; dividitur in æternam et participatam. Hæc subdividitur in naturalem et positivam.

XX. Lex naturalis in homine non est judicium rationis quo judicat quid honestum sit et agendū, Quid inhonestum et fugiendum in humanis actibus, sed est ipsa natura rationalis. Pendet tamen obligatio a rationis judicio tanquam a conditione. Lex positiva est ordinatio rationalis in commune bonum ab eo qui communitatis curam gerit, promulgata. Non est autem actus aliquis intellectus licet illum præsupponat, sed voluntatis. Lex non promulgata non obligat, sed num promulgatio sit essentialis pars legis, an tantum conditio, problematice disputandum propono.

XXI. Specialis disciplina moralis triplex statuitur, monastica seu personalis, œconomica seu familiaris et politica seu civilis. Harum specierum prima est immersa est Ethicæ seu morum disciplinæ generali, sed ex duabus posterioribus, illa est disciplina recte dispensandæ seu gubernandæ familiæ: hæc est doctrina recte constituendi et gubernandi rempublicam.

XXII. OEconomicæ objectum est domus seu familia, quæ est societas hominum ejusdem patrisfamilias imperio subditorum. OEconomicæ partes duæ sunt, prior est de personis ex quibus familia constat: posterior vero de rebus quæ ad constitutionem ac conservationem dom estitiæ societatis sunt necessariæ.

XXIII. In familia perfecta triplex est societas; prima inter maritum et uxorem. Secunda inter parentes et liberos: Tertia inter dominū et servos. Conjugium est societas naturalis maris et fœminæ, in humano genere ad liberorum procreationem, mutuum auxilium et vagæ libidinis coercitionem legitime instituta. Iniri debet nisi inter duos, marem et fœminam. Fugienda est itaque polygamia. Debet esse castum et inviolatū. Vitandum est ergo ex utraq; parte adulteriū.

XXIV. Ex societate conjugali, societas paterna tanquam fructus enascitur, quæ consistit inter parentes et liberos. Parentes naturali quodam instinctu liberis suis bene volunt, atque officiorum suorum molestias libentes subeunt ex amore quo seipsos prosequuntur et consequenter suos liberos, qui sunt substantiæ suæ participes. Sunt autem

tem parentum generalia officia tria, nempe liberos debite procreare, deinde eoſdem educare, tandem ad honeſtum vitæ genus applicare. Liberorum vero officia erga parentes ſunt primo, illos amare et revereri, ſecundo juvare et ſi neceſſum fuerit etiam ſuſtentare. Neque enim parentum beneficiis par gratia, neque ipſorum dignitati par reverentia, præſtari poteſt.

XXV. Ultima ſocietas in perfecta familia, eſt herilis inter dominum et ſervum. Eſt autem dominus perſona ſui juris, a cujus directione alius pendet. Hæc ſocietas originem habet tum a natura, tum a lege, tum a contractu, cum aliquis liber alteri imperio ſe ſubjicit, pro certa mercede vel compenſatione in perpetuum, vel ad certum tempus, et hæc ſervitus fere ſola inter chriſtianos obtinuit, eſtque omnium juſtiſſima, quoniam cum eâ optime ſtare poteſt, naturalis omnium hominum libertas. Servus bello captus poteſt ſibi fugâ conſulere.

XXVI. Res quæ vel ad ſimpliciter vel ad commode degendum ſunt neceſſariæ poſſeſſionis nomine intelliguntur. Poſſeſſio omnis vel animata eſt, ut pecus, vel inanimis. Hæc rurſus vel naturalis eſt ut fundus, ager et fructus qui inde percipiuntur: vel artificialis, ut varia ſuppellectilis genera, arma, inſtrumenta operaria, pecunia, &c.

XXVII. Triplex eſt modus poſſeſſiones legitime acquirendi, unus naturalis ut agricultura, paſtoritia, venatio &c. Alter artificialis ut mercatura, nummularia, operaria &c. tertius neuter, ut hæreditas, donatio &c. Mercatura eſt modus acquirendi per emptionem et venditionem. Ejus inſtrumentum et menſura eſt nummus, qui inventus eſt ad compendium permutationis. Mercatura eſt licitus modus acquirendi, eſtque triplex naviculatoria, oneraria et inſtitoria. Alia rurſus eſt liberalior, ſordidior alia.

XXVIII. Nummularia eſt quæ ex nummo quæſtum facit, eſtque fœnus, cambiũ vel cautio. Omnis uſura non eſt illicita, ſi enim pecunia detur ut inſerviat ad lucrum, æquiſſimum eſt et naturæ cõſentaneum, ut pars lucri veniat ad creditorem, quia id non ſolum gratitudinis eſt ſed etiam juſtitiæ.

XXIX. Politica eſt doctrina rempublicam bene conſtituendi ac gubernandi. Eſt autem reſpublica ſocietas plurium familiarum ſub eodem magiſtratu, iiſdem legibus degentium. Politica ſocietas originẽ traxit a natura, homo enim naturâ ſuâ eſt animal politicum, et hanc naturæ propenſionem excitarunt tum egeſtas, tum periculum. Quare falſum eſt quod nonnulli politici docent, imperia et reſpublicas vi primum coaluiſſe, et ex bello ortam eſſe ſummam imperandi poteſtatem.

XXX. Politia ſeu ſtatus reipublicæ vel eſt ſimplex vel mixtus. Simplex ſtatus dividitur in Monarchiam, Ariſtocratiam, et Democratiam. Monarchia eſt ſtatus in quo cæteri omnes unius imperio ſubſunt. Monarchia eſt ſtatus ſimpliciſſimus maximeque ordinatus, ideoque naturâ ſuâ haud dubie optimus et firmiſſimus.

XXXI. Ius Principatus variis acquiritur modis; ſucceſſione, electione, bello, conjugio, ſorte &c. Ex his tamen communiſſimi maximeque ordinarii modi, ſunt ſucceſſio, et electio: et licet uterque modus ſua habet commoda et incommoda, videtur tamen ſucceſſio magis quadrare Monarchiæ, quã electio. Licet enim eligi poſſe videatur optimus potius quam naſci; nihilominus tamen contrarium ſæpe evenire videmus, aut propter importunas commendationes, aut æqualium factiones aut ſuffragiorum contrarias volũtates, ut non meliores eligantur principes, quam ſuccedant. Cum qui jure ſucceſſionis ſibi imperium deberi novit, ſummâ ope niti ſoleat, ut avitum imperium virtute ſibi ſtabiliat.

XXXII. Pax longe maxime optanda eſt præ bello, incidunt tamen tempora et cauſæ quæ efficiunt ut bellum neceſſarium ſit et juſtum. Hæc juſtam cauſam ſuppeditant ſuſcipiendi; rempublicam defendere, et damnum ſive injuriam propulſare: ſive ſua retinere et amiſſa recuperare. Quæ ſi princeps alia ratione non poteſt obtinere, bello experiundum eſt, et armis ſuſcipienda reipublicæ defenſio, imo etiam offenſio, ſi vires ſuppetant.

XXXIII. Principis eſt coercere blaſphemos, impoſtores et ſeductores, qui non tantum ipſi perperam de Deo, deque religione ſentiunt, ſed alios quoque pertrahere in ſententiam ſuam, et pacem eccleſiæ turbare malitioſe ſtudent.

XXXIV. Si Princeps a vera religione alienus ſit, non propterea deſinit eſſe legitimus princeps, Multo minus eo nomine habendus pro tyranno. Si quæ pacta aut ſalvi conductus ſubditis conceſſi ſint in religione diſſentientibus, ea princeps ſervare debet. Nihil hac voce peſtilentius; hæreticis non eſt ſervanda fides.

XXXV. Ariſtocratia eſt ſtatus reipublicæ in quo excellentioribus aliquot jus majeſtatis et imperii in cæteros eſt conceſſum, eſtq; hic ſtatus præſtantior Democratia. Eſt autẽ democratia ſtatus reipublicæ in quo jus majeſtatis et ſumma poteſtas eſt penes populum univerſum, cujus arbitrio id a deputatis magiſtratibus exercetur. Eſtque hic ſtatus naturâ ſuâ imperfectiſſimus.

XXXVI. De reipublicæ ſtatu ſimplici hactenus, ſequitur mixtus.

Miſcetur

Miſcetur autẽ reſpublicâ vel ex Monarchia et Ariſtocratia, vel ex Ariſtocratia et Democratia, vel ex Monarchia, Ariſtocratia et Democratia. Ultimus ſtatus inter omnes mixtos videtur tutiſſimus, quia duæ reliquæ formæ impediunt tertiam, ne poſſit turbare rempublicam.

THESES PHYSICÆ.

PHyſiologia eſt ſcientia ſimplicitur ſpeculativa corporis naturalis quà naturale eſt, una cum ejus principiis, cauſis, ſpeciebus, et affectionibus. Habitus eſt unus, non ſimplex ſed ex pluribus aggregatus. Homo eſt ejus objectum attributionis.

II. Generationis intrinſeca principia nulla ſunt, corporis vero naturalis ſunt duo, et quodam ſenſu tria vel quatuor, quæ neque ex aliis, neque ex ſe invicem ſed omnia fiunt ex ipſis, ut ex partibus intrinſece conſtituentibus.

III. Datur materia prima, ab elementis tamen indiſtincta, eſtque ingenerabilis et incorruptibilis. Formas materiales cauſat, tam ſpirituales quam materiales recipit, idque immediate ſine ulla potentiâ ſuperaddita.

IV. Unicâ formâ contenta eſt materia, naturaliter tamen duplicem poteſt recipere, ſicut et omni formâ carere. Formâ quantumvis perfectâ maritata materia adulterinum appetitum retinet ad omnes alias formas præteritas, præſentes, futuras et poſſibiles, cum quibus quoad poſſibilitatem, connexionem habet eſſentialem.

V. Contra ſubſtantiales formas materiales inſurrexerunt nonnulli recentiores, nos vero illas ut innoxias antiquâ poſſeſſione ſuæ exiſtentiæ deturbari non patimur. Aſſerimus ergo dari materiales formas tam ſubſtantiales quam accidentales, quæ ex nihilo ſui producuntur non tamen creantur, quia e ſinu ſubjecti educuntur.

VI. Forma ſubſtantialis eſt quidem compoſiti pars nobilior, ſed non tota ejus quidditas. Eſt una in ſingulis compoſitis, non unica in omnibus. Quod forma corrupta non poſſit reproduci naturaliter, refundendum eſt unice in Dei decretum et legem quam poſuit naturis ſecundum hanc ſeriem et ordinem rerum.

VII. Unio in homine diſtinguitur ab extremis, ſed formæ materiales uniuntur per ſeipſas. Unio diſtincta non eſt diſpoſitiones materiæ,

riæ, non præſentia localis, non actio quâ forma producitur, non actus voluntatis divinæ ſed modus ſubſtantialis a prædictis omnibus diſtinctus.

VIII. Compoſitum nihil eſt diſtinctum a partibus et unione. Poſſibile eſt compoſitum ex ſubjecto et formâ ſpiritualibus conflatum, ſicut e contra corpus Completum ſimplex, eſſentialis compoſitionis ex materia et forma expers.

IX. Si nomen cauſæ non ſit uſurpandum in divinis, ut volunt Latini Patres eccleſiæ, recte definietur Cauſa in communi, principium influens communicando rei eſſe finitum et limitatum.

X. Unicum eſſe genus cauſæ, duplex etiam, triplex, vel quintuplex, ut voluerit vel noluerit opponens, defendere nobis eſt in proclivi: vel denique vulgarem cauſæ diviſionem in quatuor membra quæ licet nec prima ſit nec ultima, bona tamen eſt et adæquata.

XI. Omnis cauſa ut operetur exiſtere debet, fuiſſe non ſatis eſt, ſed ſi actio res ſit non modus agentis, non videmus quid obſtet quominus cauſa non exiſtens poſſit operari. Agens totale nequit naturaliter in diſtans operari non agendo in medium, niſi ſit concauſa ſeu coagens, ſecus divinitus.

XII. Vere it fluit ſubjectum in formas materiales tam ſubſtantiales quam accidentales, non minus quam efficiens, ſed cum mutatione ſui, a qua hæc abſtrahit. Utriuſque cauſalitas phyſice eſt eadem entitas ratione tamen diſtincta, nunc actionis nunc paſſionis nomen ſortitur.

XIII. Forma nova et antiqua non ſimul exiſtunt in eodem ſubjecto. Formæ novæ introductio naturâ eſt prior expulſione veteris, ſed tempore ſimul cum illâ. Forma nova expellit antiquam non efficienter ſed formaliter.

XIV. Finis Cauſalitatem ignorat, quicunque negat. Num cauſa ſit realis necne, eſto problema. Idem ſit dictum de cauſa exemplari, neutra in conceptu formali conſiſtit ſed in objectivo. Omne quod habet finem, non habet cauſam finalem. Formaliter agunt propter finem gloriosus Deus, beati Angeli, homines et bruta animantiâ.

XV. Celeberrima eſt cauſæ efficientis diviſio in primam et ſecundam. Illa eſt ens a ſe improductum, et aliorum entium cauſa qualis eſt ſolus gloriosus Deus Optim. Max. Qui cauſarum ſecundarum non tantum entitates ac potentias producit et conſervat, ſed etiam proximo ſeu immediato influxu ad omnes earum effectus concurrit. Non tamen eſt eſſentiale omni creaturæ dependere a Deo.

XVI.

XVI. Qui Cauſis ſecundis virtutem vere activam negaverit, veritatis philoſophicæ adverſarius fuerit. Sed num principales an inſtrumentales tantũ ſint dicendæ, quæſtio eſt de voce. Subſtantiæ proxima et adæquata cauſa eſt ſubſtantia, ſicut et accidentis accidens. Quorundam tamẽ accidentium adæquata cauſa eſt ſubſtantia, & quarundã ſubſtantiarum partialis cauſa poteſt eſſe accidens.

XVII. Cauſæ efficientis cauſalitas eſt actio, quæ ab agente et effectu diſtinguitur realiter, ſicut et a voluntate Dei. Omnium cauſarũ efficientium idem eſt influxus; eadem ergo indiviſibili actione, influit cauſa prima cum ſecundâ. Qui aliam a ſolo Deo pendulam admitteret, difficulter refutari poterit.

XVIII. Diſtinguitur creatio ab eductione, quod hæc ſit productio formæ de potentia ſubjecti, illa vero productio entis ex nihilo; quod eſt abſque cauſæ materialis concurſu. Creatio non eſt ſola Dei voluntas, non ſolus terminus, nec aggregatum ex utroque, eſt entitas ſuperaddita.

XIX. Datur potentia obedientialis tam paſſiva quam activa, cujuſlibet ad quodlibet, ubi non eſt ſpecialis repugnantia. Poſſibilis eſt (ſi non de facto detur) creatura quæ in ſuo ordine, per modum cauſæ principalis, poſſit creare. *Paradoxum.*

XX. Ubicatio eſt præſentia rei in loco. Diſtinguitur a re et loco. Modus eſt, non res. Moveri poteſt corpus et non mutare locum, ſicut e contra, mutare locum et non moveri. Unum et idem ſimul et ſemel moveri poteſt motibus contrariis, ab Oriente in Occidentem & e contra.

XXI. Hactenus non audivimus veram repugnantiam in replicatione unius corporis, vel penetratione plurium. Spatium vulgo imaginarium ultra ſupremi cœli convexam ſuperficiem diffuſum in infinitum, ens rationis non eſt, nec quid negativum, ſed ab æterno veriſſimum ens reale poſitivum. *Paradoxum.*

XXII. Duratio eſt præſentia rei in tempore. Diſtinguitur ab utroq; modus eſt, non res. Num res abſolvi poſſit ab omni ubicatione & duratione, eſto problema. Poſſibilis eſt duratio indiviſibilis, eſſentialiter reſpiciens tempus diviſibile: imo non videmus repugnantiam creaturæ, quæ ſemel producta, tam extrinſece quam intrinſece ſit incorruptibilis.

XXIII. Ex finitis punctis conflari continuum voluerunt veterum Philoſophorum plurimi, et ex recentioribus non pauci: nos vero pro *Ariſtotele* militantes, ex diviſibilibus in infinitum componi affirma-

mus, et puncta omnia terminativa æque ac cõtinuativa prorſus negamus. Apud nos ergo democritus reviviſcens adhuc jacet ſepultus, Magnenus, magnis tamen excidit auſis.

XXIV. Mundus eſt ordinata ſeries naturarum cœleſtium et ſublunarium. Plures mundi ſunt poſſibiles, de facto exiſtit unic⁹, iſq; finitus ſed eminenter perfectus. Creaturã omnem in tempore productã credimus, præſcindendo tamen ab authoritate patrum in diſſertationibus ſuis cum Arrianis, poſſibilem fuiſſe ab æterno non repugnare videmus.

XXV. Cœlum elementum non eſt, nec ex elementis conflatum, ſed quintæ eſſentiæ, corpus ſimplex, completum, et incorruptibile ſed inanimatum. Cœli quibuſdam ſunt novem, aliis undecem ſed nobis tres tantũ, Ethereum ſciz. ſydereũ et empyreum. Num cœli ſint ſolidi & impervii an permeabiles et fluidi? Item num materia cœleſtis (ſi detur) ſit ſpecie eadem cum ſublunari, an contra; determinet opponens.

XXVI. Num motus circularis ſit cœlo naturalis? Num ſit a principio intrinſeco, an ab intelligentiis? Num circumrotentur ipſi orbes cœleſtes cum ſideribus, ut annulus cũ gẽmis: an altra tantũ in orbib⁹ ut piſces in aqua vel aves in aere? In utramque partem diſputari permittimus.

XXVII. Elementum eſt corpus ſimplex ex quo fiunt et in quod reſolvuntur cætera, ipſum autem eſt indiviſibile in alia ſpecie diverſa corpora. Quaternarium elementorũ numerum ſtatuunt multi authoritate magis quam ſolidâ ratione inducti. Num detur ignis elementaris in [redacted] Lunæ, eſt probl.

XX[redacted] Elementorum tam ſymbolorum quam diſſymbolorum, tranſmutationem omnem mediatam æque ac immediatam prorſus negamus. Remittuntur in mixto et debilitantur elementorum qualitates non formæ ſubſtantiales. Manent ergo elementa formaliter in mixto, non tamen plures formæ in eodem compoſito.

XXIX. Qualitatum vulgo primarum quaternarium numerum ipſâ canitie venerandam retinemus. Frigus non eſt privatio caloris, nec ſiccitas privatio humiditatis, ſed ambæ poſitivæ qualitates. Humiditas et ſiccitas non minus quam calor et frigus a corporum ſubſtantiis diſtinguuntur realiter, contra *Arrig.*

XXX. Licet juxta doctrinam ſcholæ peripateticæ communiter ignis ſit ſumme calidus, et terra ſumme ſicca, aqua tamen eſt ſumme humida, et quantum ad aerem, cum certum ſit hyeme eſſe frigidum, æſtate calidum et aliis temporibus temperatum, prout ſol accedit

propius

propius aut recedit, prout etiam calidiores affl ant venti aut frigidiores; dicimus ex ſua natura nec frigus poſtulare nec calorem ſed ad utrumque eſſe indifferentem. *Paradoxum*.

XXXI. Dari antiperiſtaſin ſeu intenſionem unius contrarii ad præſentiam alterius circumſtantis, probat tum quotidiana experientia tum Philoſophorum poſt *Ariſtotelem* authoritas. Naturalis tamen calor ſtomachi intenſior non eſt hyeme quam æſtate, ſed e contra.

XXXII. Elementorum virtutes motivæ gravitas et levitas qualitates ſunt ab eorum ſubſtantiis realiter diſtinctæ, quibus moventur ad locum naturalem in quo nec gravia ullo modo gravitant nec levitant levia. Omnia gravia homogenea æquali velocitate deſcendunt, nec velocior eſt eorum motus deorſum in fine, quam in ejuſdam medio vel principio.

XXXIII. Alteratio eſt duplex intenſiva et extenſiva. Qualitas ubi producitur intenditur non expulſione contrarii, non corruptione imperfectioris et productione perfectioris, non majori in ſubjecto radicatione, non per perfectiorem exiſtentiam, unionem, aut ullum alium ſuperadditum modum, ſed additione homogenei gradus ad gradum.

XXXIV. Alterans agit uniformiter difformiter, ſed in certa et limitata ſphærâ. Nunquâ intendit paſſum ad eum gradum quem tenet. Simile in eadem ſpecie qualitatis et intenſionis gradu non poteſt actione aſſimilativa operari in paſſum ſimile, quamvis mole et denſitate diſſimile. Frequenter contingunt actio et reactio ſecundum eandem non tantum ſubjecti partem, ſed etiâ qualitatum [illegible]ietatem.

XXXV. Quæ in rarefactione et condenſatione occ[illegible]difficultas non per vacuitates, non per quantitatis unius corruptionem et alterius productionem: non per introductionem et expulſionem corpuſculorum: non per partium intea penetratarum expenetrationem, et expenetratarum penetrationem recte enodatur; ſed per earundem materiæ et quantitatis partium ad majus ſpatium dilatationem, aut ad minus reductionem, abſque tamen illarum aut penetratione aut replicatione.

XXXVI. Datur ſubſtantialis generatio, quæ eſt eductio formæ ſubſtantialis de potentia ſubjecti, non ſucceſſiva ſed inſtantanea. Neceſſario converſio non eſt, ſicut nec mutatio. Una pars fœtus non formatur ante aliam, non cor ante hepar, aut contra, nec cerebrum ante utrumque, ſed partes omnes efformantur ſimul.

XXXVII. Subſtantialis corruptio datur, in ea tamen non fit ad

materiam primam reſolutio, ſed multa accidentia corrupti manent in genito. Num corruptio ſit naturalis? Num per ſe intendatur a natura? Num generatio unius ſit corruptio alterius, erunt probl.

XXXVIII. Anima non eſt debitus diverſarum partium concentus non primarum qualitatum temperatura, nec accidens aliquod, ſed actus primus corporis organici phyſici potentiâ vitam habentis. Anima eſt forma non aſſiſtens ſed informans; eſtque triplex, vegetativa, ſenſitiva et rationalis.

XXXIX. Materiales animæ omnes tam ſenſitivæ quâ vegetativæ, perfectiores æque ac imperfectiores ſunt diviſibiles, earum tamen partes heterogeneæ non ſunt ſed ejuſdem rationis et homogeneæ.

XL. Plures animæ nec in perfecto vivente ſimul, nec in fœtu ſucceſſive reperiuntur, ſed in bruto eadem anima eſt vegetativa ſimul et ſenſitiva, et in homine idem eſt radicale principium vegetationis, ſenſationis & ratiocinationis. Multiplicatur anima pro multiplicatione corporis, nec ulla in corpus alienum tranſmigrare poteſt naturaliter, divinitus tamen μετεμψύχωσις Pythagorica eſt poſſibilis.

XLI. Anima rationalis ſpiritualis eſt, indiviſibilis, et immortalis, tota in toto corpore et tota in qualibet ejus parte. Rationalitas non eſt hominis differentia maxime propria; brutorum enim aliqua ſunt diſciplinæ capacia, agunt propter finem formaliter, et diſcurrunt.

XLII. Omnis ſpecifica unitas non arguit omnimodam ſimilitudinem, nec ſpecifica diverſitas inæqualitatem; dari namque poſſunt diverſæ ſpeciei individua in perfectione æqualia, ſicut et ejuſdem ſpeciei ſingularia diſſimilia. Si ſpecifica diverſitas inclinationum, operationum et externorum accidentium, arguat diverſitatem ſpecificam principiorum; aſſerere non veremur dari ſingulares homines ſpecie diſtinctos.

XLIII. Præſcindendo ab authoritate, non dubitaremus aſſerere hoc paradoxum animam ſciz. rationalem creari ſimul et propagari. Neq; melius enodaretur quæ in peccati originalis tranſfuſione occurit difficultas quam admittendo animas parentum producere animam prolis, cum non detur minor proportio rationalis animæ unius ad aliam in cujus præſentia producitur, quam cujuſlibet alterius effectus phyſici ad ſuam cauſam univocam.

XLIV. Num potentiæ vitales realiter diſtinguantur ab anima, in utramque partem probabiliter diſputari permittimus. Sed ſi ſecundū negativam partem, nullam habeat anima potentiā a ſe realiter diſtinctam,

ctam, unamne fingamus ejus facultatem an plures, infinitas an finito numero comprehenſas, ad veritatem non multum refert.

XLV. Quinque ſunt ſenſus externi, non datur ſextus. *Viſus* objectum ſunt Color et Lumen. A lumine realiter diſtinguitur is maxime qui dicitur verus Color. *Auditus* objectum eſt ſonus, cujus medium et vehiculū eſt non ſolus aër, ſed etiam aqua & ſolida mixta. Potentia materialis divinitus attingere poteſt objectum ſpirituale, imo poſsibilis eſt potentia materialis quæ in objecta ſpiritualia feratur naturaliter.

XLVI. Intellectus objectum ſunt omne ens, et non ens. Poſsibilis eſt tamen qui aliquorum tantum objectorum ſit Cognoſcitivus. Poſſibilis item eſt et alius intellectus qui in eadem objecta feratur cum noſtro, ab illo tamen ſit ſpecie diſtinctus. Intellectus eſt ſupra ſuos actus reflexivus.

XLVII. Intellectionem ponunt quidam in actione, alii in qualitate quæ actionem terminat, alii in complexo actionis et termini, nos cognitiones et appetiones omnes dicimus eſſe qualitates ſeipſis a principiis vitalibus dependentes.

XLVIII. Intuitivam cognitionē ab abſtractiva inepte diſtinxeris ex eo quod illa ſemper ſit objecti præſentis, dari namque poteſt intuitiva cognitio objecti non tantum abſentis, ſed etiam omnino non exiſtentis. Ad comprehenſionem requiritur noſſe omnia quæ ſunt in objecto formaliter aut eminenter, non tamen ſufficit.

XLIX. Voluntas eſt reliquarum potentiarum animæ rationalis regina. Ejus objectum adæquatum ſunt bonum et malum, ſed bonū qua bonum averſatur nemo, nec malum qua malum proſequitur ullus, ex duobus tamen bonis æqualibus alterutrum, ex inæqualibus minus bonum appetere poteſt quilibet.

L. Poſt exercitium actuum relinquitur in potentia operandi facilitas quæ dicitur habitus. Producitur ab actibus et inclinat potentiam ad ſimiles actus excercendos. Et ut ab actibus producitur, ita et ab iiſdem intenditur habitus, ſed eorum deſuetudine corrumpitur. Habitum autem omnem ſpecies eſſe dico, quas ſibi ſola vindicat potentia cognoſcitiva,

THESES METAPHYSICAE.

METaphysica est scientia speculativa entis in communi, et inter scientias sapientiæ nomen sola meretur. Illi subalternantur reliquæ scientiæ, quarum principia demonstrat per principia prima et indemonstrabilia, quale est illud, impossibile est idem simul esse et non esse. Angelosophia et naturalis Theologia sunt partes metaphysicæ vel particulares scientiæ ab illa distinctæ, pro opponentis arbitrio.

II. Ens est cui non repugnat existere, sicque formali conceptu coincidit cum possibili. Possibile autē intrinsece et ex parte sua, nihil est aliud quam non repugnantia ad existendum, quæ sub hac conditione explicatur, si per possibile vel impossibile talis res existeret, cōtradictoria non involveret: extrinsece vero et ex parte causæ producentis dicit omnipotentiam ipsius productivam. Possibile futurum et existens idem sunt. Datur medium inter ens possibile et actu existens, *Paradoxū*

III. Ab æterno ens fuit possibile, possibile tamen ut sic nullum dicit esse actuale essentiæ ne diminutū, distinctum ab esse ideali et virtuali quod habet in Deo ut cognoscente et ut causa, quod non est possibile esse, sed Deum esse.

IV. Ens nullas habet proprietates a seipso aut ab invicem realiter aut modaliter distinctas, habet tamen attributa ab ipso et ab invicem per intellectum, non objective quidem sed formaliter præcisa, esse sciz. ut um, verum, bonum.

V. Unum non idem est quod unitum, est id quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio. In recto dicit aliquid positivum nimirum ens, in obliquo vero negationem divisionis vel pluralitatis.

VI. Verum in recto dicit ens, in obliquo negationem apparentiæ, vel conformitatem cum idea divina vel cognitione possibili. Bonum præter entitatem quam dicit, significat perfectionem seu amabilitatem. Nihil est metaphysice falsum, nihil malum, sed omne apparens est verum, Imo falsissimum quodque est verissimum, et quodque pessimum est vere bonum,

VII. Formalitates metaphysicæ, hoc est genericæ, specificæ, differentiales et individuales, in eodem individuo realem omnem imo et virtualem respuunt distinctionem, ut objective præscindi nequeant sed formaliter tantum, Ideoque quisquis earum unam de re

quapiam

quapiam affirmat, is neceſſario affirmat omnes.

VIII. Quia eſſentiam ante exiſtentiam ab æterno tanquam rem aliquam nonnulli fingunt, idcirco ab eâ realiter diſtinctã eſſe volunt; Sed ut falſum eſt principium, ita et conſequens inde deductum..

IX. Ratio entis realis præciſa a Deo et creatura, a ſubſtantia et accidente eſt iis vere univoca; non enim aliter includitur ens in differentiis immediate contrahentibus, quam ſubſtantia in materiali et immateriali, aut animal in rationali et irrationali.

X. Ens rationis datur ſed ens non eſt. Fit ab intellectu per actum tam judicativum et diſcurſivum quam apprehenſivum. Per omnem actum falſum non fit ens rationis, nec contra, omnis actus factivus entis rationis eſt falſus. Sunt qui docent ens rationis fieri poſſe a cauſa prima, ſunt qui negant. Utrumvis elige.

XI. Subſtantiæ primus et quidditativus conceptus non eſt alicujus conſtitutivum non quod petit dependere a ſolo Deo, ſed ens per ſe. Subſtantiæ categoricæ ſunt cœli, Deus, et Angeli. Num ſubſtantiæ diviſio in primam et ſecundam ſit generis in ſpecies, an ſubjecti in accidentia eligat opponens, pro ſuo guſtu.

XII. Subſiſtentiam diſtingui a natura docet fides. Conſiſtit in poſitivo. Modus eſt non res. Porro unicam multiplex, et multiplicem unica terminare poteſt naturam propriam vel alienam. Simplex eſt vel compoſita, pro ratione naturæ cujus eſt ultimus terminus et complementum ſubſtantiale.

XIII. Accidens phyſicum datur, et de novo generatur. eſt modus ſubjecti cui unitur per ſeipſum et ad inferiora eſt verum unvocum, quippequi ab eorum differentiis perfecte præciſum.

XIV. Quantitatis eſſentiam et conceptum quidditativum, non in diviſibilitate, aut menſurabilitate aut extenſione locali, ſed in extenſionis impenetrabilis radice ponimus. Quantitas non eſt accidens materiæ ſuperadditum ſed illi realiter identificatum.

XV. Numeri materia ſunt unitates, ſed forma eſt actus intellectus. Motus, tempus et oratio menſurabilitatem habent, et extenſionem ſuo modo impenetrabilem, ſed num quantitates nec ne E. vel R. Linea ſuperficies et corpus ſunt quantitatis ſpecies, ſed ſi ratione, non realiter diſtinctæ.

XVI. Realis relatio datur, at nil ſupperaddit fundamento et termino, ſed utrumque eſſentialiter includit. Non poteſt ergo mori pater ſuperſtite filio, nec contra. Patrem terminat filius non ut filius, nec filium pater ut pater. Non tot patres quot ſunt filii, toties tamen

pater eſſe debet. Nulla datur relatio non mutua.

XVII. Dari Angelos ſeu ſubſtantias creatas complete ſpirituales ratione naturali non evincitur, quamvis ſuadeatur et communi ſapientum ac philoſophorum ſuffragio ratum habeatur.

XVIII. Spirituali ſubſtantiæ non repugnat eſſentialis compoſitio ex ſubjecto et forma, ſicut nec integralis ex partibus entitativis; neutra tamen de facto cadit in intelligentiam, quæ proinde quoad phyſicas ſubſtantiæ ſuæ partes eſſentiales et entitativas ſimplex omnino eſt et incompoſita.

XIX. Intelligentiarum loquutio Spiritualis eſt actio, nec alia quam intellectio, prout ab una ad aliam intelligentiam per ſupervenientem voluntatis actum, dirigitur. Angelus non diſcurrit circa ea quæ cognoſcit intuitive, circa ea quæ abſtractive, quid vetat?

XX. Siſtendo in pura ratione naturali et abſtrahendo ab eo quod de Dei exiſtentia ſcripturæ et eccleſiæ authoritas docet, omnino efficaciter a poſteriori, licet non a priori probari poteſt Deum exiſtere.

XXI. Attributa et perfectiones Dei optimi maximi multis demonſtrat philoſophia, viâ non ſolum negationis ſed etiam cauſalitatis et eminentiæ. Naturæ vero Unitatem cum Trinitate Perſonarum Chriſtiana fides docet et ſacra Theologia explicat.

XXII. Deus eſt ens a ſe, infinitum in omni genere perfectionis, poſſibiles creaturarum omnium perfectiones in ſe continens eminenter, incorporeum, et omnis imperfectionis incapax. Immenſitas Deo convenit neceſſario, ſed omnipræſentia contingenter.

XXIII. Unus eſt Deus, ſumme ſimplex actuſque puriſſimus, nec in eo reperitur realis diſtinctio niſi ubi intercedit relativa oppoſitio. Eſt liberrimus et intrinſece immutabilis, quod ipſi accedere aut detrahi nulla perfectio queat. Unde etiam interminabilis vitæ totam ſimul et perfectam poſſeſſionem habet.

XXIV. Quæ Deo attribuuntur perfectiones, ita ſunt illi propriæ ut nequeant creaturæ ſub eadem ratione communicari. Ita ſolus poteſt eſſe immutabilis et in omni genere perfectionis ſimpliciter infinitus. Item ſolus ipſe ſibi ſufficiens et ex omni parte independens. Solus altiſſimus et eſſentialiter Dominus. Solus omnipotens et eſſentialiter ſanctus. Solus ſupra omnia amabilis et glorioſus. Solus denique noſtra beatitudo per ſe, et ultimus finis.

MAtheſis ſcientia eſt, ſi ulla detur, licet experientia ſit ſæpe fallax, et exacta obſervatio difficilis, certitudine et evidentiâ tum principiorum tum cõcluſionum, omnibus reliquis diſciplinis quę lumine naturæ procedunt palmam præripuit. Ejus Objectum eſt quantitas, quæ eſt diſcreta vel continua. Illã cõtemplatur Arithmetica, hanc Geometria, quibus ſubalternantur reliquæ Matheſios diſciplinæ quæ nuncupantur mixtæ.

II. Arithmetica ſpeculativa eſt vel practica. Illa eſt ſcientia quæ numerorum proprietates demonſtrat: hæc vero Ars quæ eorundem operationes ad varios vitæ uſus derivat. Numerus eſt ex unitatibus compoſita multitudo.

III. Numerorum formæ ſeu ſpecies ſunt variæ et propemodum infinitæ; numerus par, impar, primus, compoſitus, quadratus, cubus, cardinalis, ordinalis, proportionalis &c. His accedunt vulgares, figurati, integri, fracti, &c. Algebraici, radices, ſurdi, ſurdiſolidus, zenſizenſus &c. Nomina ipſo pene timenda ſono.

IV. Numeri a punctis prius originem traxerunt, ſed tẽporis tractu creverunt in lineas. Poſteriorũ tẽporum Arithmeticæ notæ, ſunt novem vulgares 1. 2. 3. &c. quibus additur o. micron ſeu barbare zifra, quod quidem numeri ſignum non eſt ſed reliquis additum earum valorem adauget. Sunt autem Arithmeticæ notæ vulgares Hieroglyphicæ, quod eoſdem characteres, tam variâ ſcriptione ac linguâ nationes intelligant, et licet ſingulæ dum eos legunt diverſa ſonent, omnes tamen idem mente concipiunt.

V. In ſupputationibus uſi ſunt olim veteres calculis, notulis, digitationibus. Hinc calculatoriam, notulariam et digitariam Arithmeticæ ſpecies poteris appellare. Quibus aliqui recentiores addiderunt rabdologiam, ſeu virgulariam.

VI. Chironomia etiam eſt Arithmeticæ ſpecies, quæ variis digitorum ad manus et ad corporis artus, atque juncturas inflexionibus ac tactibus numeros indicat. Hinc manavit arcana chirologia quæ eſt per numeros, digitorum variis inflexionibus expreſſos, loquela. Hac mutâ logiſticâ eloquentiâ vel cum amicis tacite colloqui, vel in periculo conſtitutis facile poſſis occurrere.

VII. Additio et ſubſtractio abſolvi poſſunt Methodo analyticâ ſeu reſolutoria a ſiniſtra in dextram, non minus quam ordinaria methodo ſynthetica ſeu compoſitoria a dextra in ſiniſtram. In genere etiam compoſitorio, dicimus non eſſe neceſſarium ullum ordinem circa inceptionem ac profecutionem quæ in uſu eſſe ſolet, primo loco primarum figurarum, ſecundo loco ſecundarum &c. licet enim a qualibet ſerie incipere, et in quamlibet ſeriem transſilire.

VIII. Numerus monadicus per monadicum poteſt ſine multiplicatione multiplicari. Hoc peculiare habet numerus. 9. Quod per quemcunque alium multiplicatus ſeipſum exhibet ſemper. Fieri poteſt plurium figurarum multiplicatio modo analytico, ſynthetico vel obliquo ex utroque compoſito. Item per crates etiam et decuſſationes ac variis aliis modis et ingenioſis ambagibus.

IX. Quolibet numero per duos quoſvis numeros diviſo, erunt duo hi numeri quotientibus converſo ordine proportionales. Item quolibet numero per quotvis numeros continue proportionales diviſo, erunt quotientes converſo ordine in eadem proportione continue proportionales.

X. Non omnes numeri plus creſcunt multiplicatione quam additione. Quandoque enim æquale eſt augmentum per multiplicationem et additionem. Quandoque majus per hanc quam per illam. Aliquando productus minor eſt multiplicato, et quotus major dividendo.

XI. Si numerus in duas partes dividatur, quadratus ex toto factus æqualis eſt quadratis qui a partibus efficiuntur una cum numero plano, qui bis ſub partibus continetur. Numeris tribus inter ſe habentibus proportionem arithmeticam, productum ex multiplicatione inter ſe extremorum vna cum quadrato differentiæ, eſt æquale medii numeri quadrato.

XII. In tribus numeris arithmetice proportionalibus quadratum medii ſuperat productum ex multiplicatione inter ſe extremorum, quadrato differentiæ ſive producto ex differentiarum inter ſe multiplicatione. Trium numerorum arithmetice proportionalium, medius eſt dimidium ſummæ ſive compoſiti ex extremis.

XIII. Geometria eſt diſciplina quæ circa magnitudinem verſatur. Eſtque duplex, ſpeculativa et practica. Illa eſt ſcientia quæ circa naturam et proprietates magnitudinis Philoſophatur; Hæc vero Ars quæ tradendo modos menſurandi et deſcribendi magnitudines occupatur.

XIV. Quantitas geometrica ubique eſt et nullibi. paradoxum. Dari poſſunt duæ lineæ rectæ quæ in eodem plano ſi in infinitum protraherentur, ſemper ſibi invicem magis et magis approximarentur, nunquam tamen ſe tangerent. *Parad.*

XV. Aliqua quantitas licet continue et infinite augeatur, alterâ infinito minuatur, tamen augmentum illius quantumcunque ſit, minus ſemper erit decremento hujus.

XVI. Angulos ad verticem eſſe inter ſe æquales, docuit *Euclides*. Dantur tamen etiam ad verticem anguli inæquales. Omne triangulum non eſt trilaterum, licet conſtet tribus angulis. Imo dantur regulares figuræ quæ latera duplo habeant plura quam angulos.

XVII. Dato triangulo dari poteſt aliud minus triangulum, cujus ſingula latera dati majoris ſunt majora. Deinde dari poſſunt figuræ quarum areæ ſint ſemper æquales, latera vero in infinitum ſemper augeantur. Dari ergo poſſunt quanta quæ majora ſint ſimul et minora. Item quæ æqualia ſunt ſimul et infinite majora. *Paradoxa.*

XVIII. Conſtrui poſſunt figuræ, quarum ſingula latera ſingulis alterius lateribus ſint æqualia ſed areæ ſemper in infinitum fiant minores. Dari *ergo* poſſunt quanta quæ æqualia ſint ſimul et infinite minora. Continens poteſt eſſe minus contento. *paradoxa.*

XIX. Omne triangulum non habet tres angulos internos æquales duobus rectis. Datur enim triangulum rectilineum habens tres angulos internos minores duobus rectis. Datur quoque aliud triangulum tribus conſtans rectis angulis.

XX. Opticum principium eſt, remotiora apparere minora et e contra viciniora majora; non tamen ſemper verum; ſæpe ſæpius enim remotiora videntur majora et propiora minora.

XXI. Terra cum aqua unum facit globum, cujus idem eſt centrũ gravitatis et magnitudinis. Etſi terræ globus abſolute loquendo ſit moles quædam ingens; reſpective tamen ad cœlum firmamenti, eſt inſtar puncti cujuſdam. Terra eſt mundi centrum immobile, cœli ergo ſyſtema copernicanum eſt omnino repudiandum.

XXII. Num mundus fuerit ab æterno *Ariſtoteli* fuit problema, *Top.* 1. *c.* 11. ſed in tempore factum Chriſtianis eſt fidei dogma. Conditus fuit mundus non ſimul ſed ſucceſſive, non tempore verno ſed autumnali, et ut probabile, ipſo die æquinoxii.

XXIII. Quos habeat mundus ætatis ſuæ annos, illi deſumi poſſunt primum quidem ex ſacra hiſtoria, tum ex prophana, non tamen præciſe et ſine incertitudine, varias ob cauſas. At quater mille circiter

ad Christi natalem fluxisse probabilius est. Quamquam impune quivis aliam amplecti potest sententiam, dum eâ agat prudentiâ, ut ne cæteros condemnet.

XXIV. Mundus durare in æternum non potest secundum saltem hunc ordinem et rerum inferiorum statum. Quin præterea ex decreto divino non modo elementaris mundus, sed et cœlestis quoque immutari debet, sive substantialiter sive accidentaliter tantum, remanente corporũ eâdem substantiâ. Sed seculi consummatio est certissima simul et incertissima temporis periodus.

FINIS.